

BRITISH LIBRARY BOARD LONDON
1995

II. JACOBI KEILL, M.D.

De Viribus Cordis Epistola.

Viro Celeberrimo

RICHARD O MEAD, M.D.

S. P. D.

Jacobus Keill.

Pistolam D. Jurin, Tibi, Vir Clarissime, inscriptam, in Actis Philosophicis nuper publicatam legi; in quâ, ea quæ à me traduntur de viribus Cordis, infirmare conatur vir Doctissimus. Cum aestimatio virium, quibus Cor Sanguinem expellit, à Borellio facta, fere omnibus valde incredibilis videbatur, non me temerarium, non Borelli nomini injuriosum, non orbi literato ingratum facturum existimavi, si ad verum propius accedere tentarem. In quo Tentamine, non accuratam virium Cordis definitionem mihi propositum erat dare, sed potius methodum, quâ hæ vires forte inveniri possent, indicare; & Geometriæ peritiores ad Problematis valde desiderati investigationem incitare. Quo animo tentamen illud primum suscepi, eodem ea, quæ in eo reprehendit vir Doctissimus, nunc defendam Nequaquam

9 P

quaquam



quaquam enim mihi honorem quæro (ut cunque parva mea existimatio sit, est certe debito major) sed Genti Medicæ lucem undecunque illatam gaudeo. Idcirco non ut Decreta mea suitineam, sed ut vir huic negotio plusquam par, suas demonstrationes secum reputare, & Republicæ Literariæ correctiores denuo reddere dignetur, hanc Tibi scripsi literam. Quem enim Adversarius Patronum sibi ambivit, ego Te judicem Controversiæ intelligentem & æquissimum mehercule exopto.

Præcipuum quod *Borellio*, - *D. Moreland*, mihi objicit vitium est, quod in Potentiâ Cordis æstimandâ, quam rationem ad pondus iners, vel corporis gravitatem obtineat, determinare suscepimus. "Sed Cor, inquit, "cum & ipsum inter contrahendum movetur, & corpora "opposita, Sanguinem nempe & arteriarum tunicas "in motum impellit, patet ejus Potentiam non aliâ "ratione sciri posse quanta sit, quam ut motus hujus "quantitatem cognitam teneamus. Motus autem qui- "libet cum pondere quiescente comparari non magis "potest, quam linea cum rectangulo." At à nemine certè nostrûm, quod scio, est Motus Cordis cum pondere quiescente comparatus. Potentiam autem Cordis, seu vim Cordis motricem & Sanguinem impellentem cum pondere conferre, quid prohibet non video. Quamquam enim inter *Pondus* & *Motum* corporis solidi nulla sit relatio, vis tamen motrix, si in fluidum agit, ad vim gravitatis quandam certe rationem habet. Et re- vera vis corporis motrix, certam in fluido motûs quantitatem in dato tempore efficiens, æqualis est pon- deri, quod vi gravitatis cadendo, in eodem tempore, eandem motûs quantitatem sibi acquirit. Hinc vis, quâ ex orificio aliquo aqua exprimitur, certo ponderi æqua- lis esse dicitur: quia pondus datum, & vis aquam ex- primens æquales motus in temporibus æqualibus ge- nerant.

nerant. Hic genuinus Corollarii Newtoniani sensus mihi videtur esse, nec ab hoc sensu discrepant, quæ de Cordis viribus explicui. Verba Newtoni sunt, *Vis, qua totus aquæ exilientis motus generari potest, æqualis est ponderi &c.* quæ non satis attendisse videtur Jurinius, cum dicit *Pondus autem illud quo motus aquæ ex vase effluentis generari potest, &c.*

Sed si hâc re à nobis peccatum est, cum summis certe hujus faculti Geometris Hugenio & Newtono peccavimus, quorum uterque vim fluidorum per vim gravitatis exponit. Nec in Corol. prædicto id solummodo facit Newtonus, sed in aliis etiam locis ostendit Methodum, quâ ratio resistentiaz Medii, id est, actionis fluidi in corpus solidum, ad vim Gravitatis vel centripetam inveniri potest, ut videri licet in Prop. 4ta & 5ta Libri secundi, eorumque Corollariis. Alia proposito est actio fluidorum in solidum, & alia solidorum in se invicem. Fluidum datâ velocitate motum, datum pondus sustinere potest, cum fluidi partes sibi mutuo continuò succedentes in pondus impingunt, adeoque vis fluidi est revera ponderi æqualis; sed cum Solidorum non par est ratio, eorum Vis cum Gravitate comparari nequit.

Me insuper reprehendit Vir ingeniosissimus, quod velocitatem Sanginis è corde detrusi, per totam systolem æqualem posui, quam ille valde inæqualem esse demonstravit. Verum à me nusquam Sanguini æqualis data est velocitas, sed pro summâ omnium velocitatum medium posui. Sed utrum æqualis vel inæqualis est Sanginis è Corde ejecti celeritas, nondum satis mihi constat; certe quæ pro æquali velocitate stat ratio, ea mihi in præfens firmior videtur.

Sic emaculatis vitiis quæ in primâ nostrâ methodo reprehendit vir Cl: quid in alterâ quæ subjuncta est, illi displicet, videamus. Et eit certe assumptione illa quæ à Borellio, aliisque viris doctis fæpius usurpata est,

nempe, quod similius musculorum vires sunt in ratione ponderum. Aliam virium rationem in Theoremate *sto* stabilire conatur *Jurinius*: sed cum ex communi omnium suorum Theorematum Principio oritur demonstratio, communi etiam eorum fato involvetur: Si enim principium illud fallax est, (ut mihi videtur) nec ad casus ad quos adhibetur, congruit; corruunt certe omnia, quæ hâc basi innituntur. Supponit Vir Clar: Vasorum tunicas in Sanguinem intùs contentum impetu irruere, & motûs sui partem Sanguini ictu communicare: & hîc in motu Cordis, vult Ventriculum tanquam solidum Corpus, datâ velocitate motum, in Sanguinem impingere, & ictu motûs sui partem illi impertire: quæ suppositio nec Sanguinis nec Cordis, nec Aeris è Pulmone expressi motui competit, nec ullâ minimorum iustum reiteratione, horum motibus ita accommodari potest, quin quæ inde deducentur conclusiones pro incertis & omnino falsis haberi debeant.

Cum inter Sanguinem & Cordis intimum nullum intercedit spatum, sed est alter alteri contiguus, non iustum hoc in illum, sed pressu agit: nec ullam in initio suæ contractionis celeritatem ventriculi habent, sed se contrahendo velocitatem tempore acquirunt, tanquam gravia cadendo, vel ut fluida rarefendo, ex quo forte omnis vis Cordis oritur. Adeoque non æquabilis est motus contractionis, ut vult V. r. Doctissimus, sed est motus instar cadentis acceleratus. Idem igitur est dis crimén inter iustum quo Cor Sanguinem ferire vult *Jurinius*, & pressuram quâ Cor revera in Sanguinem agit, quod est inter actionem corporis solidi moti, & vim gravitatis: sed ipso fatente, hæc comparari nequeunt, adeoque pressura seu actio cordis in Sanguinem per iustum nec à Viro laudato exposita est, nec unquam exponi potest. Hanc sententiam confirmat ipsa Cordis potentia à Viro Cl. inventa. Si enim pondus datâ velocitate motum,

cordis

cordis potentiae æquale esset, tunc Sanguis omni vi Cordis in pondus illud directe impulsus motum ponderis temporis momento destrueret: sed quocunque magno impetu ponderi occurrat Sanguis, nunquam illi omnem motum in instanti eripiet, adeoque est hoc pondere potentia Cordis minor, nec recte per motum ponderis vires Cordis exponuntur.

Fluidorum vires in corpora solida, ubique eodem prorsus modo quo solidorum vires in se invicem, *Juri-*
nius æstimat & perpendit, cum tamen maxima intersit differentia; & ab hoc capite fluit quicquid est in illius Propositionibus erroris. Ubi enim corpus solidum, cuius partes firmiter inter se cohærent, in aliud impingit, unaquæque corporis particula simul & semel suam alteri vim impertit: at res aliter se habet in fluidis, in queis nulla est partium cohærentia, nulla fluidi pars, nisi in ipso tactu, in corpus sibi oppositum agit: idcirco cum columna aquæ aduersus corpus solidum sursum vertitur, partes columnæ à corpore remotiores nullam illi vim imprimunt. Corpus etiam solidum unicum solummodo ictum alteri communicat; at columna fluidi in corpus sibi oppositum continue agit, & minima columnæ pars minimo temporis momento, ictum infinite parvum illi imprimit, eodem prorsus modo quo gravia cadendo agunt, quibus igitur fluidorum motus recte comparatur. Porro omnis motus corporis solidi in alterum directe impingentis in temporis momento destrui potest: sed motus solidi vim fluido imprimentis, non nisi gradatim imminuitur, & in dato tempore evanescit, pari ratione, quâ Gravitas in corpus sursum missum vim suam exerit. Ex quibus satis abunde constat, inter vim fluidi in motum acti, & vim gravitatis magnam esse affinitatem, & unam per alteram recte exponi posse; vim autem corporis solidi ad vim gravitatis referri non posse. Cumque hanc differentiam

rentiam non satis attendisse videtur Doctissimus *Jurinius*, à vero multum aberrasie mihi videtur. Si igitur sepositâ suâ, de Vasorum iectu, hypothesi, & vi pressuræ, quâ Natura utitur, pro Principio adhibitâ, alia Theoremata de Cordis & Sanguinis motu & viribus, elegante suâ demonstrationis methodo, construere dignabitur, sese dignum, mihi certe gratum, nec eruditis invile præstiterit. Tu, qui Rei Medicæ principatum tenes, Vir Amplissime, dissentientium disputationes tuâ prudentiâ ita moderari digneris, ne Indoctis ludibrio, sed ut Doctis emolumento esse possint. Dabam *Northamptonie* 23. die Junii 1719.

III. An account of some Experiments relating to the Specifick Gravity of Human Blood. By James Jurin, M. D. and F. R. S.

IT is well known from the Observations of Mr. Leeuwenhoek and others, that Human Blood consists of red globular Particles, swimming in a pellucid *Lympha*, or *Serum*. Which two different Substances, tho' of unequal Specifick Gravities, yet so long as they continue to circulate in the Veins and Arteries, are prevented from separating by their Motion and Warmth. But when the Blood comes to stagnate and cool in a Porringer, the globular Particles uniting together by their attractive Power, and sinking by their Weight, which is greater than that of the *Serum*, form the *Coagulum*, or *Craffamentum*, at the bottom of the Porringer, the *Serum* swimming above it.

Things always happen in this manner, when the *Craffamentum* is at liberty to subside: but it often falls out, that, either by its adhesion to the sides of the Vessel, or by the bubbles of Air, which the Blood